

ANATZIZ

Seu

RESOLVTIO DI- ALECTICA QVATVOR

Librorum Institutionum Im-
perialium.

In Qua

*SVIS LOCIS, PRO IVRE ANTIQVO
multa Vesles & Cottidiana Iuris Quaestiones brevis
explicatione restituta sunt.*

OMNIA NVNC RECENS EMENDATA ET
aucta, notis denique ad marginem illustrata:
studio & diligentia

PETRI CORN. BREDERODII IC. H.A.
gocomitani.



Cum Gratia & Privilegio Casarco.

Excudebat Theodosius Rihelius.



Coll. Soc. I. s. v. Salm. ex dono R. C. J. M.



ILLVSTRI ET
GENEROSISSIMO DOMI-
NO, D. VENCESLAO LESSCZINSKI
Baroni, D. in Lesno & Goluchovvo Natalium
splendore clarissimo, optimæq; spei
adolescenti S. P. D.

SI NATURA NOS, LES-
sczinski Generosissime, tales ge-
nuisset, ut eam ipsam intueri, ea-
demq; duce optima, vitæ cursum
conficere possemus, haud esset necesse, quòd quis-
quam rationem & doctrinam requireret, cum
ipsa natura sufficeret. Nunc verò, ut Tullius
I. I. Tusculanarum inquit, paruulos tantum
natura nobis dedit igniculos, quos celeriter ma-
lis moribus opinionibusq; deprauatis sic restin-
guimus, ut nusquam naturæ lumen appareat.
Nam simul atq; editi in lucem susceptiq; sumus,
in omni continuo prauitate versamur: ut pene
cum lacte nutricis errorem suxisse videamur:
cum verò parentibus redditi, deinde magistris
traditi sumus, tum ita varijs imbuimur errori-
bus, ut vanitati veritas & opinio natura con-
firmata cedat: Difficile est, ut idem inquit, mu-
tare animum, & si quid est penitus insitum mo-
ribus, euellere. Sic plerunq; euenire videmus, ut
ipsam naturã deteriore reddat peior educatio

D. IUSTINIANI
IMPERATORIS SACRA-
TISSIMI INSTITUTIONVM IV-
ris Ciuilis Liber Primus, per Methodi-
cas quæstiones succinctè tra-
ctatus.

*Institutionum Vocabulum quid significat, & Unde
deriuatur?*



VOCABVLVM INSTITVTIONVM,
ab Instituendo originem habet. ^a Significat au-
tem præcepta, quibus erudiuntur homines, in
quolibet genere doctrinæ. Ac Valla *lib. 4. Ele-
gant. c. 11.* inter hæc duo Institutionum & In-
stitutorum vocabula, differentiam hanc constituit. Ita, vt hæc
ad mores seu disciplinam: Illud verò ad ipsa artis præcepta re-
feratur. Etsi autem discrimen hoc doctissimi quiq; probant, ta-
men in Iure non est perpetuum, quia in allegandis libris alte-
rum pro altero, promiscuè vsurpatur.

*n. Adde Schneid.
in præfat. num. 8.*

Quid sunt Institutiones Iuris?

Sunt erudita methodus legalis scientiæ, ex Iure Gentium &
Ciuili per Tribonianum & alios Iurisconsultos, autoritate Iu-
stiniani Imperatoris extracta, quæ concionatur principaliter
de personis, Rebus & Actionibus: habetq; vim legis aut natu-
ralis aut positivæ. *S. pen. in Proæmio Instit. & l. 2. S. has itaq;
Vers. nec. C. de Ver. iur. enucle.*

Alia Definitio.

Sunt totius legitimæ scientiæ prima elementa: in quibus
breuiter exponitur, & quod antè obtinebat, & quod postmo-
dum defuetudine inumbratum principali remedio illumina-
tum est. *VVolf. ex S. igitur post. in proæm. Adde Schneideus in
in præfat. num. 7. & 8.*

Quis Auctor Institutionum?

Iustinianus Imperator, qui post grauissima bella, & res ma-
ximas Armis gestas, etiam legum difficultates, quæ multitudi-
ne sua imperio graues superare voluit, *in Proæm. instit. & Di-*

